

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Hermann Heltberg Johannes Tetens

## **Exercitationum Logicarum X. De Affectionibus Enunciationum**

Rostochi[i]: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729114678>

Druck Freier  Zugang





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn729114678/phys\\_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729114678/phys_0001)

DFG

R. U. phil. 1609. 10.

12 ggl.

25 1717





*Annente & Benedicente Domino  
Exercitationum Logicarum*

X.

**DE AFFECTIONI-  
BUS ENUNCIA-  
TIONUM.**

*Cui*

*Sub Praesidio*

M. HERMANNI HELTBURGII  
Walsrodā - Lunæburgici,

Respondens erit

JOHANNES TETENS  
*Eyderastadiensis.*

Ad diem VII. Martij Loco ho-  
risq; consuetis.

RostochI

*Typus Myliandrinis, Anno c1o 1oC X.*

CLARISSIMO ET EXCEL-  
LENTISSIMO VIRO,

Dn. Iohanni Tetenio,

Philosoph. & Med. Doctori, &  
Civi Tonningensi.

UT ET

Reverendo, Amplissimo, Doctissimoq; viro,

Dn. Occoni Harsenio,

Canonico Hamburg. dignissimo.

N E C N O N

Spectatissimo, & Integerrimo viro,

Dn. Sigfrido Poppenio,

Iuniori.

Dominis Mecenatibus, Fautoribus, Promotoribus, Consan-  
guineis, affinibus & amicis suis summa ob-  
servantia colendis.

Hacce studiorum primitias

Offert Dicat Consecrat

Ioh. Tetens Eid.

Respondens.



## Proœmium.



Idimus hactenus in disputationibus aliquot præcedentibus, principia Enunciationum nim: Nomen & Verbum, & quotplicia eadem sint: vidimus item ipsum principiatum ex his principijs compositum nim. Enunciat' onem, & ejus definitionem & essentiam sumus contemplati: Vidimus etiam deniq; ipsius Enunciationis species & divisiones nim. quod dividatur in simplicem & conjunctam, simplex in puram & modalem, & ita deinceps omnes Enunciationum species ad hanc partem & tractatum Logice formalem spectantes ordine perse- cuti sumus. Jam ergo, & in præsenti discursu affectiones & accidentia quædam ipsis Enunciationum speciebus plerisq; adhærentia & convenientia contemplabimur & enarrabimus. Quemadmodum enim in reliquis disciplinis prius ipsius subjecti principia & species, & deinde affectiones iisdem convenientes explicare solemus: ita etiam in hoc Logices tractatu prius de ipsis enunciationibus & ea- rundem speciebus præcipimus, & deinde ad affectiones quasdam iisdem convenientes explicandas accedimus.

## Theorema Primum.

Affectiones Enunciationum numerantur vulgo quatuor: oppositio, æquipollentia, consecutio, & conversio.

I. Ita est, enodatâ principiorum naturâ & specierum tracta-  
tione expeditâ, ad affectiones illius rei cuius naturam & species

contemplati sumus, nos solemus accingere. Quod autem non a nobis solum observari, sed etiam Philosophum nostrum tali ordine incedere in quavis disciplina contemplativa videtis. Assumite enim Physicam, Arithmeticam, & Geometriam, & omnes, post rem de qua agunt traditam ejusdem etiam affectiones subjungere & annexare experiemini. Quis itaq; hunc ordinem nostrum Logicum, si tam bono aliarum disciplinarum exemplo confirmatur, improbariet.

II. Demonstrata ita ordinis ratione, jam ad affectionum in Theoremate propositarum numerum nos convertemus. Ubi admonendos vos esse putamus, à quibusdam plures à quibusdam verò pauciores affectiones quam à nobis esse enumeratas. Primo enim: quidam conversionis doctrinam non ad Enunciationes sed ad Syllogismum pertinere contendunt. Et propterea etiam Aristotelem in Syllogismi tractatione de conversione demum egisse, dicunt. Verum cum conversionis tractatus plurimum utilitatis doctrina Enunciationum, ut exemplis hoc ipsum posset demonstrari innumeris afferat; id est etiam eundem cum Aristotelis quibusdam interpretibus retinebimus. Crellius part. com. Log. lib. 2. cap. 5. Gregor. Horst. Instit. Log. lib. 1. tract. 3. cap. 9. Nec moramur Rameos qui conversionis nullum in Poëtis exemplum dari, & propterea eandem inutilem & reiiciendam esse contendunt. Hi enim inter finem Poëtarum & Logicorum distinguere ignorant. Logici enim suorum praeceptorum multitudinem & numerum ex rectâ ratione & veritate astruere contendunt: Poëtae verò interdum amissa & neglecta veritate nugas & oblectamenta sectantur.

Nec moveat nos Sturmius qui in partitionibus suis Logicis quartam conversionis speciem addere contendit. Non enim est vera & legitima conversionis species. Cum non ex subjecto fiat prædicatum & ex prædicato subjectum; quod tamen in omni conversione fieri debet. Nec moramus alios qui hanc quaternarium



Enunciationum affectionum numerum diluere contendunt. Illis enim suo, nobis verò nostro de ipsisdem consilio egisse sufficiat.

### Theorema Secundum.

Oppositiō est duarum Enunciationum de eodem subjecto eodem respectu accepto, quarum una affirmat, altera negat, pugna.

I. Dicimus quod oppositio sit pugna hoc in loco duarum Enunciationum, ut ab oppositione simplicium terminorum, de qua in tractatu Postprædicamentali actum est, distinguatur. Dicimus etiā quod oppositio fiat inter Enunciationes subjecto & prædicata eodem respectu acceptis constantes, ut hac ratione subjecta & prædicata impropriè & equivocè accepta removeamus. Non enim inter illas Enunciationes quæ talibus terminis constant vera oppositio fieri potest, ut in exemplo patebit: Quando enim dico: canis latrat: canis non latrat, vobis non exhibeo oppositionem Enunciationum talem, de quali hic nobis sermo est. Constat enim utraq. propositio subjecta equivoco. Canis enim modò pro sidere caelesti, modò pro animali vitam & sensus habente sumitur.

II. His ita tanquam necessarijs præmissis ad exempla quibus hanc nostram definitionem possumus reddere clariorē nos convertimus. Sic quandò dico: Omne animal vivit: Nullum animal vivit, Vobis exhibeo Enunciationes sibi invicem oppositas. Est enī hic pugna duarum Enunciationum de subjecto eodem videlicet animali: Sumitur deinde subjectum videlicet animal eodem respectu in eadem Enunciatione videlicet pro substantia vitam & sensus habente: Sunt deniq. hic due Enunciationes quarum una videlicet Omne animal vivit, est affirmans; altera verò videlicet Nullum animal vivit, est negans. Sic multis alijs

ne sit & qui voca  
oppositio.

Exclam Enunciati  
onis oppositor.

Eadem  
signifi  
catione

*oppositionum spes  
alij tht quin  
alij tres sunt*

*evi evi*

*tis alijs exemplis hoc ipsum volis possemus declarare nisi jam tem-  
pestivius ad oppositionis species transitus esset.*

III. Admonemus autem vos de speciebus oppositionum non u-  
nam eandemque, apud Philosophos esse sententiam. Quidam enim  
tres, quidam verò quinque, ejusdem species constituere solent. Qui-  
nario autem numero qui gaudent, oppositionis species, contrari-  
am, subcontrariam, contradictoriam, indefinitam & sin-  
gularem, constituere solent. *Contraria oppositio* fit quando due  
propositiones universales, quarum una est affirmativa, altera ve-  
rò negativa, sibi invicem opponuntur: ut *omnis homo est ani-  
mal*, *nullus homo est animal*. Hic enim due sunt propositiones  
universales, quarum prima, *Omnis homo est animal* est uni-  
versalis affirmativa, altera verò, *Nullus homo est animal*,  
est universalis negativa. Jacob. Mart. Disp. Log. Domest.  
9. thes. 13. *Subcontraria oppositio* fit quando duas particulares  
propositiones, quarum una affirmat; altera negat sibi invicem op-  
ponuntur ut quando dico: *Quidam homo sentit*, *quidam homo*  
*non sentit*. Hic duas habetis Enunciations particulares qua-  
rum una, *Quidam homo sentit* est affirmativa, altera verò,  
*Quidam homo non sentit*, est negativa. Crell. part. com.  
Log. lib. 2. cap. 4. *Oppositio contradictoria* fit, quando Enun-  
ciatio universalis affirmativa, & particularis negativa; vel u-  
niversalis negativa & particularis affirmativa sibi invicem op-  
ponuntur: ut quando dico, *Omne animal sentit*, *Quoddam ani-  
mal non sentit*: *Nullum animal sentit*, *Quoddam animal sentit*.  
Hic habetis contradictione oppositionis ex utraque parte exempla,  
ex quibus vos hujus oppositionis naturam facile percepturos non  
dubitamus. *Oppositio indefinita* fit, quando due propositiones in-  
definitae, quarum altera est affirmans, altera negans sibi invi-  
cem opponuntur: ut quando dico: *Homo vivit*: *homo non vivit*.  
Hic enim sunt duas Enunciations indefinite, quarum una, *Ho-  
mo vivit* est affirmativa, altera, *homo non vivit* est nega-  
tiva;

*2.  
contraria  
opposita*

*2.  
subcontraria  
opposita*

*3.  
contradic-  
toria oppo-  
sita*

*4.  
indefinita  
oppo-  
sita*

<sup>8.</sup>  
Singulare  
ris oppo-  
sita  
tiva: Erit itaq; oppositio indefinita hic, quia requisita ejusdem in  
promptu sunt. Oppositio deniq; singularis fit quandò duas propo-  
sitiones singulares, quarum una est affirmativa altera negativa  
sibi invicem opponuntur: ut Petrus est homo, Petrus non est  
homo: Jacobus est doctus, Jacobus non est doctus. Qui ter-  
narium saliem numerum astruere conantur illi subcontrariam  
et indefinitam oppositionis species tanquam illigitimas reiycere so-  
lent. Dicunt enim in subcontrarijs non unum idemq; retineri  
subjectum, quod tamen, si vera inter illas oppositio esset, fieri de-  
beret. D. Gregor, Horit. Institutionum Log. lib. I. tract.  
3. cap. 7.

**IV.** Atq; hæc de oppositione Enunciationum absolutarum  
in præsentia dicta sunt. De modalium itaq; oppositione, quia pau-  
lulum à simplicium differt, pauca adiicienda putamus. Non po-  
teritis autem in oppositione modalium cognoscenda faliciter pro-  
gredi, nisi prius quid modus quid item dictum in modalibus sit,  
cognoveritis. Ex his enim duobus modales propositiones confici-  
untur et componuntur. Est autem modus in modalibus qui ipsi  
Enunciationi præponitur: ejusdemq; extrema seu partes deter-  
minat. Sunt autem quatuor modi, necesse est, contingit, possibile est,  
impossibile est. Dictum vero est ipsa Enunciatio cui unus ex  
his modis est præpositus, et ab eodem secundum exterma deter-  
minata. His itaq; tanquam necessarijs præmissis ad oppositiones  
modalium nos accingemus.. Opponuntur autem modales pro-  
positiones sibi invicem ijsdem ferè modis quibus absolute seu de-  
necesse. Est itaq; contraria modalium oppositio quandò idem mo-  
dus universalis, dictis seu Enunciationibus contradicentiibus ad-  
jungitur: ut necesse est Hominem sentire, Necesse est ho-  
minem non sentire. Hic videtis duas propositiones seu duo di-  
cta sibi invicem contradicentia, ut homo sentit, homo non  
sensit: videtis item unum modum universalem, videlicet ne-  
cessè

qui tres.

Evid modus in  
modalibus fit  
ex aut quatuor modi.

Contrariae Modu-  
lium oppositionis  
exponit.

de modali Enunciatione vide Crel: 219 folio.

<sup>1/2.</sup>  
Subcontraria  
exponit in  
modo.

Contradicitione  
exponit in modo.

quinque modis  
hanc placet

Secunda & terti  
via Enunciatio  
nem non efficit  
Equipollentia  
& consequentia

necessè est, utriq; dicto seu Enunciationi additum. Videbitis itaq; oppositionem modalium propositionum contrariam. D. Gregorius Horst. Instit. Log. lib. I. tract. 3. cap. 10. Subcontraria modalium oppositio est, in qua idem modus particularis, dictis seu Enunciationibus contradictentibus attribuitur & præponitur, ut possibile est Petrum esse doctum, possibile est Petrum non esse doctum. Oppositio modalium contradictionia est, in qua duo modi contradictentes eidem dicto adjuncti opponuntur, ut Necessè est hominem esse animal; non necessè est hominem esse animal. Hic duo sunt modis sibi contradictentes, necessè est, non necessè est, est quoq; idem dictum quod sibi hos modos habet adjunctos videlicet homo est animal. Fonseca lib. 3. Institut. Log. cap. II. Atq; hac de oppositione modalium propositionum pro ratione instituti & propositi nostri in medium afferre placuit. Pleniorum qui hujus rei cognitionem & tractationem desiderat, illos qui integros commentarios Logicos conscripserunt legere & consulere poterit. Oppositionem deinde propositionum infinitarum quod attinet, dicimus eandem nihil ferè ab oppositione absolutarum Enunciationum differre, atq; sic pluribus de eadem hic agere non videri necessarium.

### Theorema Tertium.

AEQUIPOLLENTIA est duarum Enunciationum verbis solùm discrepantium, sensu vero idem significantium, convenientia. Consecutio est unius Enunciationis ex altera deductio.

I. Considerata ita primâ Enunciationum in theoremate precedente affectione videlicet oppositione, jam de aequipollentia & consecutione agendum esse videtur. Dicimus autem in theoremate

Equipollentia

mate nostro quod aequipollentia sit talis Enunciationum affectio, quā duæ propositiones verbis solummodo discrepantes, sensu verò idem significantes conveniunt, ut quando dico: Non omne animal est doctum, quoddam animal est doctum. Hic sunt duæ Enunciations verbis discrepantes sensu verò convenientes. Quandò enim dico: Non omne animal idem est ac si dicerem quoddam animal, & vice versa quandò dico, quoddam animal idem est ac si dicerem, Non omne animal. Vtrumq; enim quoddam saltem animal, & non omne, doctum & bonarum disciplinarum capax esse significat. Sic in multis alijs exemplis hujus affectionis Enunciationum naturam possumus ostendere. Sic quandò dico, Omnis homo non est justus, nullus homo est justus, vobis exhibeo exemplum hujus affectionis Enunciationum. Harum enim Enunciationum una aequipollit alteri, hoc est idem significat quod altera, & discrepantia in his Enunciationibus est in nudis verbis. Quando enim dico Omnis homo non est justus, eodem labore & modo etiam dico nullum hominem esse justum. Aequipollit ideoq; una proposicio alteri hoc est, prima idem significat & insert quod secunda & vice versa secunda idem significat & insert quod prima, atq; hac ratione in nudis verbis non ipsa inter has & similes propositiones est discrepantia. D. Gregor. Horst. lib. I. Institut. Log. tract 3. cap. 8.

Quia autem in aequipollentia Enunciationum magna habenda est ratio particula negativa & pro hujus collocatione, varia etiam oriatur Enunciationum aequipollentia: ideo de hujus collocatione varia & exinde exorta propositionum aequipollentia breviter præcipiemus. Notetur itaq; primo: quando particula negativa Non præponitur subiecto & signo alicuius propositionis, tunc eam reddit aequipollentem sua contradictionia, ut quando dico: Non omne animal vivit, aliquod animal non vivit. Hic videtis duas propositiones sibi invicem contradictiones, videlicet

B

vid: animal vivit: animal non vivit videtis itē priori signo &  
subjecto praeponi particulam negativam, quæ eam alteri red-  
dit equipollentem hoc est idem significantem & inferentem.  
Quando nimurum dico: Non omne animal vivit idem signi-  
ficare volo quando dico aliquod animal non vivit. secundò  
notetur: Quando negatio seu particula negativa postponitur  
subjecto universalis Enunciationis tunc eam efficit equipollen-  
tem subcontraria, ut quando dico: Nullus Germanus bibit:  
Omnis germanus non bibit: Hic sunt duæ propositiones con-  
traria, Nullus Germanus bibit: Omnis Germanus bibit,  
cujus posterioris subjecto additur particula negativa, ut omnis  
Germanus non bibit, atq; sic jam equipollentem sua contraria  
hoc est idem cum ea cui antea contrarium inferebat inferentem  
aptam reddit. Tertiò notetur: Quando negatio preponitur vel  
postponitur subjecto in universalı aut particulari propositione,  
cum eam subcontraria equipollentem reddit: ut, Non omne  
animal non vivit: Quoddam animal vivit. D. Gregorius  
Horst. lib. I. Institut. Log. tract. 3. cap. 8. Atq; hac de E-  
nunciationum equipollentia enarrare voluimus. Restat itaq;  
jam ut de consecutione pauca quadam adiiciamus. Dicimus a. in  
theoremate nostro quod consecutio sit unius propositionis ex altera  
deductio, ut quando dico, omnis homo est doctus, exinde se-  
quitur illa, nullus homo est non doctus: sic ex hac omnis  
equus est non animal, deduco hanc, nullus equus est animal.  
Videtis ex his quod consecutio nihil aliud sit quam unius ex al-  
tera illatio, sic ex affirmativa infinita, negativa finitam, sic  
ex affirmativa finita, negativa infinita inferatur & consequitur,  
ut ex exemplis modò allatū percipere vobis est integrum.  
Cvll: videat p.c. 224.

### Theorema Quartum.

Conversio est affectio Enunciationum  
secun-

Consecutionis  
definitionis  
explanatio.

Eiusmodi Enunci-  
ationum Affec-  
tio.

secundum quam prædicatum in subjectum  
& vice versa subjectum in prædicatum veri-  
tate utriusq; eadem manente transponitur.

I. Absolutis & declaratis breviter tribus prioribus affectio-  
nibus Enunciationum, restat ut de ultima conversione scil. eodem  
modo & ratione agamus. Dicimus autem quod conversio sit tale  
accidens Enunciationum quo subjectum in prædicatum & præ-  
dicatum in subjectum salva manente veritate, mutatur, ut quan-

dò dico: Nullus homo est lapis: nullus lapis est homo.

Hic homo est subjectum in prima Enunciatione, fit vero prædi-

catum in secunda Enunciatione, salva etiam manent utriusq;

Enunciationis veritas. Nullus enim homo est, fuit & erit lapis.

Nullus etiam lapis erit est & fuit homo. Omne animal sen-

tit: omne sentiens est animal, vobis exemplum conversionis

exhibeo. Animal enim quod subjectum est in prima Enunciatio-

ne fit deinde prædicatum in secunda Enunciatione, & sentiens

quod prædicatum est in prima fit deinde subjectum in postremâ

Enunciatione: salva deinde etiam manet utriusq; veritas, quia

omne animal sentit, & omne quod sentit est animal. Flac. Log.

general. lib. 4. cap. 8. Crell. part. com. Log lib. 2. cap. 5.

Greg. Horst. Instit. Log. lib. I. tract. 3. cap. 9.

II. Notandum deinde est triplicem apud Peripateticos fieri

conversionem, simplicem, per accidens, & per contrapositionem.

Conversione simplex est, quando ex prædicato fit subjectum, & ex

subjecto prædicatum, manente tamen eadem qualitate & quan-

titate, atq; hoc modo conversionis convertuntur universalis nega-

tiva, & particularis affirmativa: ut quando dico, nullus equus

est rationalis: nullum rationale est equus: Quidam homo

est albus, Quoddam album est homo. In his exemplis duobus

prima conversionis speciei exempla habetis, primum universalis

B 2

nega-

Ho ftrtm.  
Ho pdctm.

triplex est &  
fit conversio

Conv. sing.

negativa, alterum particularis affirmativa. Conversio per acci-  
dens fit, quando quantitas propositionis mutatur, atq; hoc modo  
convertitur universalis affirmativa: ut omnis homo est ani-  
mal: Quoddam animal est homo. Hic est universalis affir-  
mativa, omnis homo est doctus, cuius quantitas post subjectum in  
predicatum & predicati in subjectum transpositionem mutatur  
hoc est ex universali fit particularis. Conversio per contraposi-  
tionem fit, quando ex predicato fit subjectum, & ex subjecto  
predicatum, non quantitate, sed qualitate mutata: hoc fit quan-  
do particula negativa additur tam predicato quam subjecto in  
conversione, atq; tali modo convertuntur universalis affirmativa  
& particularis negativa: ut Omnis Leo est animal: omne  
non animal est non Leo: Hic est universalis affirmativa,  
omnis Leo est animal, cuius Enunciationis partibus in conver-  
sione particula negativa Non additur, salvâ eadem quantitate  
manente hoc est tam ante quam post conversionem signo univer-  
sali, manente. Particularis negativa exemplum ponimus tale:  
Quoddam animal non est belua: E. Quedam non belua est ani-  
mal. Videatur D. Gregor. Horit. lib. I. Institut. Logic.  
tract. 3 cap. 9. Atq; hac de Enunciationum affectionibus  
breviter & compendiosè in medium produxisse sufficiat.  
Quantitas. Generalis & Specialis.  
Qualitas. Affirmata vel Negata.

## Corollaria.

### I.

An Ramus hasce Enunciationum affe-  
ctiones recte omiserit? N.

An

*II.*

*An conversionis doctrina cum Ramore-  
ijcienda? N.*

*III.*

*An modus in modalibus sit prædica-  
tum? N.*

*IV.*

*An quatuor sint conversionis species? N.  
T. q. Ante cedens p. videat,*

*An tractatus Rami de Enunciationibus,  
si secundum ipsius mentem examinetur sit bo-  
nus? N.*

*VI.*

*Ramus an potius Orator quam Philo-  
sophus nominandus?*



*B. 3*

*Hu-*

*Humaniss. Juvenem*  
Dn. IOANNEM TETZENIUM

Respondentem,  
Popularem, Convictorem, Contubernalem & amicum  
syncerum Alloquor.

Mene, Théoninoe M O M V S quem dente momordit,  
    Vis mactare theses carmine J A N E tuas?  
Me, dico, nuper quem lusi Epigrammatis ergo  
    Mordaci petijt lividus ore canis?  
Quid censes? pueri num plorans instar inulti  
    Munere scribendi carminis abstineam?  
An potius pergo doctum defendere famam,  
    Asper & in pravos cornua tollo viros,  
Qualis ab infido spretus gener ille Lycambe,  
    Qualis & Hipponax hostibus Ephesius?  
Hoc placet, & faciam ne me post voce lacebat:  
    Si faciat, & saevis mortibus excipiam:  
Ceu vigil ore Lacon, sublatâ aut aure Molossus  
    Excipient actam per juga celsa feram:  
Cumq; nemus vanis & latratibus iste replerit,  
    Projectum cupido devoret ore cibum.  
Interea nos (rumpantur licet ilia M O M O,  
    Frendeat & stolidi sex rabiosa P E T R I)  
Condigno catum veneremur honore Sophorum,  
    Atq; Stagirai scripta diserta Sophi:

Hec


Hac legis, hæc perlecta probas, sequerisq; probata:  
Id docta poterunt JANE docere theses.  
Macte animo, & primi Logicis scriptoribus avi  
Sapè juvet mentem sic saturare tuam.

GASPÄR HATKENIUS  
Eidorast.


JANE, quod affectas Logicos dissolvere nodos  
Cupisq; vera discere:  
Et pius hercle labor, nec te cepisse pigebit,  
Hoc si modi perrexeris.  
Sic etenim doctum recte distinguere scripta.  
Poteris, beneq; discurrere.  
Sic te non fallent quorundam dogmata falsa,  
Latent qua in atris nubibus.  
Quod verè, amplecti, quod falso, temnere, dictum,  
Tutus poteris Eudare.  
Ergo age, conatum constanti perfice mente,  
Ecce cepta nunquam desere:  
Sic tibi, crede mihi, continget gloria, nomen  
Habebis & docti viri.

BENEDICTUS MEIERUS  
Eidorast.













306. sect. 20. in hæc verba erumpens: Omne quum principium, aut à primo principio. Unia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia ruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deus ipsum donavit.

### Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem dare licet. Nam 1. Angelus tantum, & aingunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se possunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

### Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se in corpore, sed semper extra corpore.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore, sed semper extra corpore. per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant bona est. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi co-

359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora nunt, & natura eorum non est, corporibus ut formare, meritò per se ab omni corporis unione.

II. Sunt vero Angeli in duplice differenti boni: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essens, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur.

Quicquid autem à Deo creatum est, bonum

A 3

